

9 Græcorum. Cum illa anno 972 Romæ Otto II. solemnes nuptias celebravit, suscepitque ex Theophania Ottonem III. non Ottonem II. natum nuptiarum anno octavo non primo ut male Berti in Breviar. t. 1. p. 279. edit Neap.

(3) Hinc colligere est Ottonem I. Ecclesiæ Aquensi alia hic nominata jam concessisse, licet antiquum perierit documentum.

(4) Haud magna sane liberalitas, si cum aliis hujusmodi concessionibus comparetur. Nam Otto magnus 10 Episcopo Laudensis civitatis imperium cum 7. milliariis spatio concesserat (Ugh. T. 4. p. 660.) cum quinque Corradus an. 1031. Ubaldo Cremonensi Episcopo ibi p. 595. Episcopo tamen Novariensi par contigit fors: scilicet uterque Otto an. 968. (non 969.) edito diplomate civitatem cum 24. stadiis id est 3. milliariis spatio illi donavit.

(5) Hinc etiam liquet jurisdictionem in civitatem jam fuisse ab Ottone magno Episcopis Aquen. contributam.

(6) Entemporum miseranda conditio. Quibus Ecclesiæ, 20 inter quas eminebant plebes, a laicis Regibus donabantur, & utinam, ut hic Otto, Episcopis suis. Sane Arduinus Rex, Petro Novariensi Episcopo iratus ipsi plures plebes subtraxit, aliisque concessit ex Nov. sacr. p. 313. Inde ortum limitum Dioceseon perturbatio. Interdum autem quod pejus erat laicis dabatur, ut conqueruntur Patres Concilii Mediolanensis anni 864. Jam antea notavit comes Julinus ad chartam anni 999. duplici jure ad Episcopum spectare potuisse plebes vel Ecclesias, vel jure generali, quo gaudet in universas sue diocesis 30 Ecclesias, quo pacto, quæ temporalia erant suis Rectoribus, atque Archipræbiteris cedebant, vel jure speciali, quo plebes Episcopo dabantur quasi in commendam, adeo ut universos earum Ecclesiarum redditus ipse perciperet cum onere idoneos ministros instituendi, qui earum curam spirituales gererent.

(7) Gamalero.

(8) Vesme secus Burmidam a posterioribus notariis quandoque Vigesium nuncupatum: quidam enim Arnaldus Canonicus Aquensis & Veximi Archipræbiter in 40 chartis 1220-3-5-31. modo Veximi, modo Vigesi Archipræbiter nominatur.

(9) Cauro in Territorio Sexami versus Monasterium. Nam in Arch. Cathed. adsunt duæ chartæ ann. 1284. in quibus Odo quidem de Cauro Clericus Ecclesiæ Sexami ab Aquensi Arcidiacono appellat ad Archipræbiterum delegatum a s. Sede, &c. Cum enim Clerici eo tempore Ecclesiæ eorum parochiali adscriberentur, hinc conjectura capi potest, qua Cauri antiqua positio circa Sexami territorium collocetur.

(10) Osimæ, Seritelli, ignotæ mihi sedes.

(11) Duo officia publica a Regibus Longobardis Italiam investita. Primus a Laurentio in suo Onom. pro judice, ac prætore accipitur; posterius vero erat instar comitis, ac ejus absentia civitates gubernabat, atque istos Laurentius cit. ait fuisse curtes Regias præsidentes.

Charta foundationis Monasterii S. Quintini de Spigno auctore Marchione Anselmo.

C M X C I.

7 In nomine sanctæ, & individuae Trinitatis, anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi nongen-

tesimo nonagesimo primo, quarto die mensis martii, indictione quarta. Dum fragilis, ac caduca vita homo in sæculum vivit, & recte loqui potest jucundus erit, si res suas disposuit bono animo, unde valeat servire Altissimo Domino, & adquirere felicitatis gaudium, & præmium sine fine mansurum. Et dum cogitavi tremendum diem judicis impios nefandam retributionem recipiendos, & felicem desiderabilem vocem audiendos, providimus nos Anselmus Marchio filius bonæ memoriæ Ale- dram, itemque Marchio, & Gisla Comitissa jugalibus filia Adalberti, similique Marchioque Willielmus, & Riprandus germanis filio bonæ memoriæ Oddoni (1), quæ professæ sum ego ipsa Gisla ex natione mea legem vivere Longobardorum, & nunc pro viro meo legem vivere videor Salica, & justa lege mea in qua nata sum una cum notitia Domini Gaidaldi comes istius comitatus Aquensis, de sub cujus judiciaria etiam invenior in ejus præsentia, vel tertium certa facio professione quod nulla me pati violencia quempiam hominum, nec ab ipso jugale meo, nisi mea bona, & spontanea voluntate nostra facultate nobis a Dei pietate largita Christi fidelibus offerre, ut per eorum sanctam intercessionem Deus nostri misereatur, & per hoc æternum memoriale ibi nos esse supernus Judex permittat, ubi justii sine fine latantur. Manifesti sumus nos jugalibus, & germanis, patruis, & nepotis, quod prædictus quondam Oddo, qui fuit genitor, & germanus noster desideravit construere Monasterium in loco, & fundo Spigni ad locum, ubi monte S. Quintini dicitur in honore Domini Dei Salvatoris, sanctique Thomæ Apostoli, & B. martyris Episcopi Quintini. Quapropter nos qui supra jugales, & nos germani filii jam dicti Oddoni, nunc ipsum Monasterium pro salute illius animæ, nostrorumque atque omnium fidelium in honore Dei Salvatoris, & supradictorum Sanctorum in nostris propriis rebus constituimus, atque in sumtu, & stipendiis, usumque Abbatum, & Monachorum, qui nunc a nobis collocati sunt, vel qui in antea Deo vocante venturis, necnon & hospitum, atque peregrinorum susceptione donamus, & offerimus nostras res; sicuti modo per singula loca inferuntur. In prædicto loco Spigni, in circuitu ipsius Monasterii in simul tenente per mensura jugescentum decem cohæret eidem duabus partibus percurrit flumen, qui dicitur Burmia, & de reliquis duabus partibus terræ nostræ eorum supra jugales, 50 & germani, quod in nostra reservamus potestate. Proprietario jure atque offerimus in eodem Monasterio cortem unam juris nostri domui cohærent, quæ est posita in loco, & fundo Plana cum castro, & capella, & est ipsa corte super totum simul jugeas quingenti. Offerimus etiam eidem Monasterio Abbatiam unam juris mei, quam habere visus sum in loco, & fundo Pulcherado super fluvio Padi, quæ est ædificata in honorem S. Mauri, uti etiam corpore requiescit cum castro inibi habente, 60 & capellas inibi constructas, seu casis, marsaritiis, five castello in loco, & fundo Macingo cum omnibus ad eum pertinentibus, & Albareto (2), atque omnibus rebus ad eandem Abbatiam perti-